

1991-11-29 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Cum Rem Magni’**IOANNES PAULUS PP. II**

**PISTULA DATA
ANTONIO MARIAE S.R.E
CARDINALI JAVIERRE ORTAS,
SANCTAE ROMANAEC ECCLESIAE
BIBLIOTHECARIO ET ARCHIVIARIO**

Venerabili Fratri Nostro

*Antonio Mariae S.R.E. Cardinali Javierre Ortas
Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecario et Archiviario*

Cum rem magni momenti ponderisque putaremus, superiore tempore Venerabilem Fratrem Nostrum Angelum S.R.E. Cardinalem Suquía Goicochea misimus quadringentesimum annum incohaturum ex quo celebratus Ioannes a Cruce vita pie concessit. Eximius profecto iste Ecclesiae Doctor intima hominis est perscrutatus et mystica arcana, qui velut a societate et corporis contagione sevocatus ad superiora et caelestia se convertit iter ad sanctitatis montem facturus.

Pro certo quidem habemus sapientes doctores et rei spiritualis peritos inquisidores his decursis mensibus omnibus ex partibus illius sancti viri mentem et effata pervestigasse, ut non modo ipsius doctrina collustraretur, verum et fidelium vita pietasque concitarentur.

Utpote igitur cum sollemnia fuerint huius celebrationis exordia et per annum sit eiusdem pensitata sapientia, decere prorsus arbitramur pari ratione exitum habere hanc commemorationem. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, mentem nostram convertimus, quem meditato consilio aptissimum reputavimus ad officium hoc complendum et partes nostras ibidem convenienter sustinendas, quippe qui abundantia doctrina eruditus plurimaque scientia exornatus illius caelitis scias demonstrare ingenium virtutesque ac nomine Nostro pariter publice cohortari fideles ad sanctitatis semitas persequendas.

Has ideo propter causas Missum Extraordinarium Nostrum te destinamus et Litteris his nostris ad annum illum explendum te volentes deputamus. Ibidem velut verba Nostra proferens omnes consalutabis eos simul qui operam curiosam in doctrina illius Sancti perquirendam contulerunt, simul communitates fideliumque coetus, qui commemorationi huic Ioannisticum annum concludenti intererunt. Cunctis demum Benedictionem Apostolicam nostram significabis, caelestium donorum copiam devocantem et benevolentiae nostrae documentum demonstrantem.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.

IOANNES PAULUS PP. II